

METAPHYSICA.

DIGRESSIO I. ONTOLOGIA.

THESES I. **D**uo potissimum generalia, quibus reliquæ veritates innituntur, principia sunt, nempe unum *contradictionis*, alterum *rationis sufficientis*. II. Cujus notæ non repugnant, *Ens* dicitur. III. *Essentia* est ratio formalis denominans ens esse id, quod est.* IV. Alia est *actualis*, quæ absque entitate superaddita, & realiter distincta, *existens* intelligitur; alia *possibilis* sive *intelligibilis*, quæ *æterna*, *immutabilis*, ac *necessaria* est. V. Adæquata possibilitas entis rite dispescitur in *formalem* & *causalem*, idem esto de *futuritione* ac *præteritione*. VI. Quodlibet ens est *metaphysice Unum*, *Verum*, ac *Perfectum*. VII. *Identitas* est summa unitas, idemque sonat, ac eadem entitas; *Distinctio* est ea entium affectio, quâ unum eorum non est aliud: dividitur ea adæquate in *realem* & *rationis*; prior vel est *adæquata*, vel *inadæquata*, item aut *absoluta*, aut *modalis*. VIII. *Ens simplex* nequit oriri, nisi per *creationem*, nec interire, nisi per *annihilationem*; secus est de *composito*. IX. *Ens necessarium* est in omni genere perfectionis infinitum & illimitatum. X. In nullo ente *contingente* ratio sufficiens est, cur existat ipsum; nec *ultimata* in eo reperitur, cur existat aliud ens contingens, hinc XI. Si existant entia *contingentia*, etiam existit ens *necessarium* sive à se, etiam in *chimerica* infinitæ *seriei* *causarum contingentium* hypothesi.** XII. *Omne* vel *substantia* est, vel mera *substantiæ* modificatio.*** XIII. *Subsistentia*, illud entis ultimum complementum, quo idipsum redditur adæquatum omnium suarum functionum & proprietatum principium, consistit in *negatione unionis cum digniore*.

* Notæ, quæ primo in ente occurrunt, & ex quibus cetera omnia, quæ ei insunt, quodammodo dimanant, constituunt entis essentiam; quæ præter illas notas enti necessario conveniunt, *Attributa*; quæ contingenter, *Modi* nuncupantur. — *Attributa* habent rationem sufficientem in essentia, non vero *Modi*, licet ex illa intelligi queat, quinam eidem inesse possint. ** In hanc nimirum desperationis abyssum se se præcipitant quidam impii, ne cogantur admittere ens necessarium, *Deum*: ast sic daretur numerus *actu* infinitus, in quo reperitur palpabilis repugnantia. *** Sic sentiunt R R, qui dedignantur quamlibet abstractionem more Veterum realitate donare, unde sequeretur infinita propemodum entium multiplicatio sine ullâ necessitate.

DIGRESSIO II. ÆTIOLOGIA.

THESES I. **P**incipii nomine intelligitur id, quod rationem alterius continet; *Causæ* vero, quod est ratio, cur habeatur aliud natura distinctum. II. Præ ceteris quinque distinguunt Philosophi *causarum* species: *Ef-*

ficientem

ficientem, Materialem, Formalem, Finalem & Exemplarem. III. Quodlibet principium est aliqua saltem ratione prius suo principiato, & causa effectui. IV. Causæ creatæ non sunt mere precariæ, sed vi vera ac proprie activa pollent. * V. Quævis causa, ut agat, debet esse subiecto vel immediate, vel saltem mediate applicata. VI. Nil potest esse causa efficiens suiipsius, nec duæ causæ efficientes possunt seipsas mutuo quoad primum esse producere. VII. Nullus effectus adæquatam suam causam perfectione superare potest. VIII. Causa *necessaria* ad agendum expedita, agit secundum omnes virium suarum gradus. IX. *Miraculum*, effectus supernaturalis insolitus, possibile est, sed solius divinæ omnipotentiae sigillum. *

* Quicumque effectus in rerum natura ponitur, vel per *creationem*, vel per *generationem* producitur; jam vero creaturis non competere vim creandi & annihilandi, in confesso est: quælibet igitur creaturæ actio nil aliud est, nisi mera subiecti præexistentis mutatio, sive ejusdem substantiæ diversa modificatio, num talem vim creaturis prudenter denegabimus, quam constans experientia & invincibilis persuasio testantur? minus proin recte philosophantur *Occasionalistæ*, dum veram activitatem e creatis eliminant, solique Deo adscribunt. ** Cum miracula sint Christianæ, potissimum Catholicæ religionis fundamenta, ac veritatem ejus perspicue commonstrent; mirum est, quanta rabie eadem pro more suo impii arrodant: & increduli quidem aliqui eousque progrediuntur, ut miracula ceu chimærica explodant, utpote æternis & immutabilibus Dei decretis, ut ipsis garrire lubet, prorsus contraria, ast ineptiæ sunt, queis miraculorum possibilitatem evertere conantur. — Invidi vero Heterodoxi, qui stulte judicant se solos sapere, nimis Catholicos credulitatis arguunt, quasi quemlibet effectum mirabilem miraculosum declamarent; sed vel mentitur iniquitas sibi, vel calumniantur ignari, quot criteriis probentur effectus, & quot cautelæ ab Ecclesia adhibeantur, priusquam eos miraculosis adnumeret; nos pro modulo & otio nobis concessio similia, quantum satis est, discussimus.

DIGRESSIO III. PSYCHOLOGIA RATIONALIS.

THESES I. **A**nimam humanam vocamus illud principium, quo homo cogitat, vult, reminiscitur, harumque operationum sibi intime conscius est. II. Pro quolibet corpore à Deo creatur unica *, sed quo tempore ea corpori copuletur, esto problema. III. Essentiam animæ constituit *vis cogitandi*. IV. Et vel hinc invicte conficitur, eam esse substantiam à materia specie discretam, *simplicem* videlicet & *spiritualem*. ** IV. Est quoque æternaliter victura, sive *naturam* ejus, *** sive *supremum Dei spectes Dominium*. **** V. *Systbema causalitatis*, quod ponit mutuum & realem corpus inter & animam quoad operationes dependentiam, plausibiliter defendi potest. *****

* Deliria sunt, quæ *PTTHAGORAS, PLATO, TERTULLIAN* &c, de ortu animæ adferunt. — Non minus vapulat opinio *præexistentiæ*, utpote carens sufficiente ratione, & à communi D D sensu, ac P P effatis, prorsus aliena. ** Cum essentias

essentias rerum nobis introspicere non liceat, eas ex proprietatibus & operationibus in re qualibet cognitis, determinamus, & quibus in substantiis proprietates & operationes specie diversas deprehendimus, eas quoque abs scrupulo specie discretas inserimus; jam vero animæ humanæ vim seipsam movendi, cogitandi, volendi &c in se, quilibet ex sensu intimo novit: quis autem unquam vel vestigium id genus proprietatum &c in materia invenit? sane præter extensionem, figuram, motum nil in ea reperire est, quis igitur adeo desipiat, ut animam materialem pronuntiet? — imo vero proprietates & operationes animæ absolute repugnant enti materiali ac composito, & vicissim, unde materia etiam ne divinitus quidem cogitare potest, nisi fors Deus rerum essentias mutare valeat, quod esset ad extremum usque insanire. — Querant nunc quidam, sed abs dubio oleum & operam perdent, vim cogitandi forte in quodam materiæ angulo latitantem; nempe sic ineptiunt spiritus fortes (in loquacitate & contradicendi libidine) indigni anima, qui tam ignobiliter de nobili hac & vivâ Deitatis imagine garrunt. ** Anima nostra nec ut existat, nec ut operetur, indiget corpore, quo enim jure in lutea hac, quam circumferimus, machina, nobilissimorum actuum omnis materiæ profusus expertium, ratio sufficiens contineatur? — nec ipsa quoque ab ulla vi creata existens, nedum vita exui potest: exigit usque adeo ob naturales sibi infinitas proprietates a Deo seu autore naturæ perpetuo conservari, naturaliter igitur immortalis est. *** Non enim facit Deus, quod perfectionibus suis consentaneum laud est, infinita autem ejus Bonitas, Justitia, Sapientia & Providentia postulant æternam animæ humanæ conservationem; quam porro sensus communis, validissimum profecto veritatis indicium, aliaque momenta comprobant. **** Systemata Assistentiæ, & Harmoniæ præstabilitæ sustineri nequeunt; superest igitur ut illud, quod plerumque systema influxus physici non mutui dicitur, statuatur; hoc ipsum enim nec impossibilitatis, nec apertæ falsitatis convinci potest, sat aptum præterea est, ad explicandum corpus inter & animam commercium.

DIGRESSIO IV. PSYCHOLOGIA EMPIRICA.

THESES I. **F**acultas cognoscendi ea dicitur, qua anima notiones rerum sibi comparat. II. Alia est inferior, quæ complectitur Sensus, Phantasiam, ac huic affinem Memoriam. III. Sensatio est perceptio objecti præsentis ope sensuum externorum: Phantasia est facultas objecta absentia tanquam præsentia sibi sistendi; Memoria est vis, qua Mens ideas jam prius habitas restaurat, simul sibi conscia, illas omnino esse easdem, quas ante habuit. IV. Sensationes per commotiones a rebus externis in organa sensoria factas, & inde ope nervorum ac spirituum animalium ad commune sensorium, sive sedem animæ, delatas: Phantasia vero & Memoria per impressa quondam, dum objecta percepimus, & relicta in cerebro vestigia, sat apte explicantur.* V. Potentia cognoscendi superior includit vim reflectendi & attendendi, item Intellectum & Rationem. VI. Intellectus vi activa & innata producit ideas, via præcisionis, ne-

gationis

gationis, proportionis, illationis &c. non displicent tamen etiam aliquæ notiones in sano sensu innatæ. VII. *Facultas appetendi & averfandi* est ea, qua in bonum propendemus, malum vero abhorremus: Potentia autem, qua mens se se ad amplectendum bonum, vel ad malum fugiendum, ultimo determinat, *Voluntas* dicitur. VIII. Hæc, licet malum ut malum amare, & bonum ut bonum odiffe nequeat, circa bona tamen finita gaudet vera *libertate indifferentiæ*. IX. *Systhema Leibnitii* non explicat veram libertatem, sed potius totaliter evertit. **

* Inde enim quamplurima Phantasiæ & Memoriz phænomena explicantur; ratio quoque hinc reddi potest, cur memoria naturalis frequenti exercitatione, repetitione &c. felicior evadat. Ceterum adhuc plura, quæ de facultate cognoscendi tum inferiore, tum superiore; item de habitibus, affectibus &c scimus, interroganti reservantur. ** Hic liquidem sequentia ponit: a) *Voluntas* est appetitus rationalis. b) *Representatio boni* est ratio sufficiens volitionum & nolitionum. c) Ceu corollarium inde deducit, *voluntas inter bona finita non nisi optimum eligere potest*. Apparet autem cuicque notione veræ libertatis aliquantulum inbuto, hæc cuncta cum eadem consistere non posse. — præterea hic varias excogitatas libertatis definitiones, de quibus verificatur illud, quod Tull. de Epic. ait: *re tollens, oratione relinquens Deos*.

DIGRESSIO V. THEOLOGIA NATURALIS.

THESES I. **D**ei existentis (quo nomine intelligimus ens a se, & perfectissimum, a quo condita sunt omnia, & facta reguntur) consensus omnium gentium, necessitas alicujus supremi Legislatoris & Judicis, rerum contingentium existentia, & conformatio, constansque hujus universi ordo, invicta suppeditant argumenta. II. Ex summa illius existendi necessitate sequitur, eum esse in omni perfectionis genere & gradu infinitum, simplicem ergo, unicum, æternum, immutabilem &c. III. Convenit ei quoque summa & infallibilis omnium scientia, nec tamen est, cur timeamus, hac ipsa everti libertatem nostram. IV. Gaudet porro voluntate liberrima, infinita bonitate, & veracitate. V. Est omnium conditor, conservator & gubernator, quarumcunque rerum providentiam habens: non tamen ullum in hoc universo reperibile malum notam imperfectionis ei inurit. VI. Quia cuncta ad fines sapienter & suaviter disponit. VII. Creaturarum denique suarum indigentiz semper præsto est, tum ipsas, tum inditas ipsis vires assidue conservando. *

* Quod si Scholastici per *immediatum Dei concursum* hæc eadem intelligant, subscribimus eis, plura enim ratio supremi dominii non videtur exigere.

O. A. M. D. G.